

Sebastiano Mulioni

# CHRONICON GLEMONENSE

AB ANNO MCCC AD MDXVII.

**[Chronicon Glemonense** : ab anno MCCC ad MDXVII / Sebastiano Mulioni]. - [S.l. : s.n], stampa 1877 (Udine : G. Seitz). - 27 p. ; 27 cm

Per le auspicatissime nozze nob. cav. conte Ferdinando Groppero colla signorina Maria Concato. - La pubblicazione è dedicata da Giovanni Groppero al fratello Ferdinando Timbro di F. di Toppo sul front.

In nomine Domini Amen. — Anno Nativitatis Domini Nostris Jesu Christi MDXII, Indictione XV, die IX Mensis Decembris.

In presenti libello contineatur aliqua memoratu observanda quae antiquis nostrisque temporibus gesta atque visa et audita et scripta per viros fide dignos intellecta . . . notata per me *Presbyterum Sebastianum Mulionum de Glemona* aetatis suae annorum LXV.

Ex liberulo cartaceo oblongo membrana cooperto, servato olim apud Heredes de Orsettis de Civitate Austriae extraxit Johannes Dominicus Guerra et in Volumine XLIV continente Epistolas et alia transcrixit a pag. 478 ad 533.

In primis 1300 Nobiles de Prampergo emerunt Castrum Prampergi ab uno Nobili Alamano cum voluntate Rev.<sup>mi</sup> Patriarchae. Et tunc temporis erant cives Glemone et vendiderunt partem Castri in montem Castri Glemonensibus.

1365 die 28 Decembris. Venzonum se subegit Ecclesie Aquilegensi sub Domino Francisco de Savorgnano Vicedomino sub Comunitatis Glemone exercitu: et consignavit illis de Venzono *Inderlechum* non preiudicando nostro Inderlech et juribus nostris. Notatum per S. Leonardum Notarium.

1397 die 17 Maij. Declaratum fuit per Dominum Patriarcham Antonium Gayetanum in Civitate Austriae quod deberemus habere *Inderlechum* sicut antea habebamus cum Consilio Parlamenti, prout . . . . . per S. Johannem de Susanna de Utino Cancellarium presentibus D. Abbate de Motio, D. Decano Civitatis Austriae

D. Angelo de Perosa Vicario, D. Doimo de Porcileis, D. Vincislao de Spelymbergo, D. Johanne de Prata, Ser Johanne de Zucho, S. Johanne Padoano et filijs S. Odorici de Trichano, S. Bartholomeo de Prampergo, S. Nicolao de Atemps, D. Marechalcho, D. Johanne de Cavalcantibus, S. Johanne de Faganea, pro Civitate Austriae. Pro Utino S. Johanne Antonio et S. Dorlico de Monasteto et pro Glemona S. Nicolao de Cramis, S. Georgio de la Villa, S. Turino Fantono et S. Henrico Rampulino.

1420 die 22 Junij. Cives Sancti Danielis prestarunt obedientiam et Flagonea (1).

1420 die 28 Junij. Tulmetium et Carnea se subdiderunt praefato Comiti etc., hora 17 dum exercitus esset sub Venzono. Et eodem die hora xxij se subdidit salvis personis et bonis.

1423 die 2 Maij. Oratores Terre Venzoni conquesti fuerunt in Consilio Parlamenti Patriae ipsius existente in Ecclesia S. Francisci in Utino, quatenus Comunitas Glemona se impediabat de Interlecho et vi opprimebat stratam et privabat omnes transgredientes libertate, de qua querimonia fuit eis per Oratores Communis Glemona recte responsum quod, ab antiqua recordatione et memoria hominum semper fuit Interlechum in Glemona. Et in crastinum Consilium Parlamenti sententiavit et declaravit quod dictum Interlechum esset sicut prius erat in Glemona, videlicet quod mercimonie venientes de portis marinis in Alemaniam et de Alemania ad portus marinos deberent per noctem permutare vectores etc. In quo Consilio interfuerunt principaliter, videlicet Episcopus Concordiensis, Vicemlocumtenens, D. Nicolaus de Portuuario Decanus Aquilegensis, D. Fedricus de Purcileis, D. Tristanus de Savorgnano, D. Hector de Strassoldo, S. Marguardus de Pulcinicho, S. Dorlicus de Castro, S. Nicolaus S. Thomasij de Spinimbergo, S. Nicolaus la Barba de Atemps, S. Prettus de Zucho, S. Antonius de Prampergo. Pro Civitate Austriae: S. Nicolaus de Portis, S. Hermannus de Culosis. Pro Utino: D. Johannes Moysi, S. Johannes Susanna, et pro Aquilegia S. Tomas et . . . . Qui omnes unanimiter sententiaverunt ut supra etc., de qua sententia Venetionenses se appellaverunt ad Dominium Venetiarum.

(1) Credo invece vada letto *Faganea*.

1430 die . . . . Fuit quaedam inundatio aquarum, ita quod Gradeula torrens Glemone . . . . aqua non tamen quod . . . . murum in Cimiterio Ecclesie et expulsi corpora mortuorum cum capsis et conduxit ea usque in paludem.

1437 die 2 Februarij videlicet in Festo S. Blasij secreto accensus fuit ignis in Glemona in burgo Ville in domo de paleis Jacucij Cunizani, qui combuxit a porta Ville usque totam plateam quasi omnes domos usque in Ploviam. Et quia erat maximus ventus et frigus et siccitas, portabat ignem usque in paludo et accendebant arbores in paludo et in braydis usque ad radices.

1449. Fuit maxima pestis in Glemona.

1450. Fuit Jubileus sub Papa Nicolao V, in Festo Resurrectionis innumerabilis populus Christianus accepta benedictione a Sanctissimo Papa, aliqui euntes, aliqui redeuntes obviantes se super pontem Sancti Angeli venit quidam Cardinalis cum suo comitatu et quedam mula ipsius indomita cepit calcitrare et sternere gentes ita quod multitudo maxima se invicem suffocaverunt: ac etiam maxima multitudo ascendit super latera pontis Tiberis et cecidit in aqua et submersi sunt. — Et eodem tempore fuit maxima pestis Rome atque per totam Italiam et etiam in sequenti anno, ita quod de decem vix remanserunt quatuor. — Et ipso tempore fuit maxima penuria victualium et fuerunt plures terremotus.

1451. Frater Johannes de Capistrano . . . . predicat . . . . Ungariam, Alemanniam, Boemiam et Poloniam irruentem contra Turchos et reformavit regulam S. Francisci de Observantia.

1452. Constantinopolis Civitas a Turcis capitur die 28 Maij cum magna strage Christicolarum et crudelitate.

1463. De mense Septembris Veneti castrametati sunt Tergestum et steterunt per multos dies sub ipsa Civitate et ipsa totaliter irruptioni dedissent, si non fuisset Magnus Marcus Antonius Marcello qui erat Dux belli illius, qui habebat filium isthic delegatum a Dominio: sed facta fuit maxima vastatio in vineis eorum.

1464. Pius Papa imposuit Jubileum in Tergesto, quia alias fuerat Episcopus Tergestinus.

In ipso anno Dominium Venetorum imposuit certam *Collectam* que dicebatur *Trigesimum* in toto districtu Venetorum sub pena excommunicationis Papalis. Et eodem anno Dominium Vene-

torum incepit ponere decimas Ecclesijs et Presbiteris . . . . et impositae fuerant plures Decimae Papales et exigebantur cum maxima austeritate.

1465. Fuerunt maxime dissentiones inter cives Portusnaonenses et discordie et fuerunt multi suspensi : et aliqui suspensi in macello sicut castroni : et similiter fuit in Tergesto : et plures fuerunt *Forisiti*, ex quibus adhuc sunt in Patria et in Sacilo.

1466. Fuit maxima pestis Glemone et per totam Patriam et duravit in Glemona quasi per annos duos et mortuae circa nonaginta persone.

Item ipso anno de mense Septembris fuit Ecclipsis Solis et fuit quasi totus Sol absconditus.

1470. Impressores librorum inceperunt Venetijs imprimere libros.

1471 die 14 Maij. Civitas Negropontis a Turcis capta fuit et facta fuit maxima strages Christianorum per Mahumettum Regem Turcorum.

1472. Fuerunt banditi Grossoni valoris soldorum octo et Grossetti valoris soldorum quatuor et sol . . . (sic) marchettos per Dominium et inceperunt *Troni et Deceni*.

1474 de mense Augusti. Turci ceperunt invadere Patriam Forijulij et aggressi fuerunt usque ad portas Civitatis Austriae et abduxerunt aliquos captivos, inter quos fuerunt duo de Glemona, videlicet Franciscus Fazattus et Franciscus Albertus pistores et ipso anno fuerunt maxime nives.

1476. In festo Pentecostes venerunt certa genere papilionum ex Alemannia ; et recto tramite per viam regiam intraverunt Italiam per viam Venzoni et erant tante multitudinis quod obumbrabant solem et fuit hora meridiei hora quintadecima et duravit usque ad vespertas et erant coloris blavi : et omnes intrabant per rotam Ecclesie S. Marie Plebis Glemone et circumvolabant Ecclesiam et exturbate tamquam starent ad processionem : et venerunt versus Utinum : et nescitur quid ex ipsis secutum sit.

1477 die penultima mensis Octobris. Iterum Turci intraverunt Patriam per viam Goritie et invenerunt in villam Lucinici exercitum Dominij Venetorum et totum exterminaverunt, totamque gentem occiderunt tamquam oves ad macellum cum campiducto-

ribus. Inter quos D. Hyeronimus de Verona qui erat primus occisus fuit et multi alij et Proceres et Comites, fuitque maxima strages et quidem Bassa nomine. . . qui erat campiductor Turcorum omnibus fecit amputari capita. Et primo die Novembris cursitaverunt Turci per totam Patriam comburentes Villas, depopulantes domos et captivantes populos et occidentes et fuerunt usque ad Tulmetium et versus Carneam, usque ad Coloretum et Chiavoriacum. Demum regressi sut usque ad Lucinicum et in die S. Leonardi iterum reversi sunt et quid remansit erugini, bruchus comedit, qui contra senserit, intelligat.

1478 de mense Augusti inceperunt venire quedam locuste ex Alemannia et magne in turmas sicut oves, et durarunt usque ad tempus et intrabant campos et prata et omnia depascebant, videlicet sata cujuscumque sortis essent, ac herbas, et in comestione videbantur esse oves seu capre in ruminatione.

Et in ipso mense Turci intraverunt Ziliam et maximum damnum intulerunt in combustione, captivitate populorum et depredatione bonorum.

1479 die 3 Julij. Fuit in crepusculo diei seu aurora in Glemona quedam maxima grando et tempestas que fregit tegulas super tecta et arbores et erat magna ad similitudinem unius panis medij solidi et. . . . nocuit extra muros Glemone.

1480 de mense Augusti fuerunt maxime inundationes aquarum, ita quod Tulmentum crevit in tantum non videbatur terra a pratis Tavelle, hinc usque ad montem de Peglonis. — Et in Civitate Austrie Natissa excrevit in tantum quod non poterant homines ire per pontem, quia aqua creverat super pontem et destruxit burgum Porte Broxane totum.

1485. Fuit maxima pestis in Glemona et defuncti sunt in Glemona quasi nonaginti et duravit quasi per menses novem et stetit sex menses postea recidivavit (sic) iterum et mortui sunt plures.

Et ipso anno de mense Octubri Ungari venerunt cum maximo exercito in Patriam et iverunt ad Portumnaonis, tamen nihil mali intervenit isthic nec in Patria: sed solvebant quantum accipiebant.

1490. Inceptum fuit edificari Monasterium Sancte Marie Gratiarum.

1491. Inceperunt Fratres celebrare et habitare in ipso loco.

1498. Consecrata fuit Ecclesia.

1499. Fuit primus Guardianus loci illius.

1497. Fuerunt maxime nives et in ipso anno nixerat plusquam quinquagies.

1499 die... Septembris fuit maxima inundatio aquarum et Gradeula crevit taliter quod fregit et in ruinam dedit murum in Cemeterio et conduxit plusquam 5000 currus glare in cimiterio, ita quod quasi occupaverat portam Ecclesiae totam ita quod vix poterat habere ingressum in Ecclesia.

1499 die 28 Septembris. Turci intraverunt Forum Julij per viam Goritie et cum maximo exercitu transcurrerunt usque Sacilum et steterunt octo dies in Patria et fecerunt maximum damnum et stragem populorum et diripuerunt multa bona.

Rex Karlottus de Francia intravit Italiam et subegit sibi Mediolanum et multas alias Civitates in Italia.

1508. De mense Februarij fuit maxima strages Campi Majestatis Maximiliani Imperatoris, occisa fuerunt plusquam tria millia Teutonicorum in Cadubrio, videlicet in Plebe et sub Butistagno Castro per milites Dominij Venetiarum et Regis Francie.

Et ipso anno Dominium Venetorum subdidit in dictione sibi Cormonum, Goriciam, Tergestum, Portumnaonis et alia loca subdita Majestati Cesaree, ductore campi D. Bartholomeo Comite Alviani. Et ad multos menses post Dominium Venetorum reddidit Cormonum, Goritiam, Tergestum et alia aliqua loca ipsi Imperatori et modo propter istam compositionem et quasi confederationem inter eos factam et non diu duravit.

1509 Primo die Augusti venit exercitus Sacrae Majestatis Cesaree sub Civitate Austrie et castrametavit sub muros et stetit quasi per vigintiquatuor horas ad expugnandum Civitatem et expugnasset si Deus non adjuvisset: sed nihil profuit: et ipsi Teotonici venerunt usque Utinum cum exercitu et nihil profererunt et in reversione occiderunt multos inter quos fuit S. Johannes de Prampergo et reversi sunt Goritiam.

1510. Fuit tregua.

1511 die 27 Februarij fuit maxima strages plurimorum hominum Nobilium Patrie Forijulij facta in Utino per Dominum

Antonium de Savorgnano et ejus sequaces in Utino, videlicet borgesanos et rusticos suarum villarum: inter quos Nobiles fuerunt occisi infrascripti, videlicet D. Alovisius de la Torre et frater ejus et nepos cum omnibus famulis suis et dirupta fuit ejus domus atque cremata et Villalta cum exercitu magno rusticorum cum magna artelaria et occisus fuit D. Theseus de Colloreto, Franciscus Bertolinus de Utino, S. Federicus de Colloreto et comestus a canibus, cremata fuit domus D. Jacobi de Tarcento et plures alie domus in Utino. Fuit dirutum Castrum Sterpi illorum de Colloreto, ita quod non remansit lapis super lapidem. Et Domini de Spenimbergo omnes fuerunt sachezati et multi alij in Spenimbergo per eorum rusticos.

Et eodem anno exercitus Dominij fuit sub Castronovo cum maxima multa artelaria et subjugarunt dominio, Domino Antonio de Savorgnano campiductore cum suis rusticis et sachezata sunt plura Castra, Valvasonum, Strassoldum, Villalta et plures ville. Et venerunt rustici usque Buyam causa sachezandi Glemonam, tamen non fuerunt ausi.

1511 die 26 Martij, hora vigesima, luna vigesima octava fuit maximus terremotus ubique et maxime Glemone et fecit innumerabiles ruinas domorum. Monasterium S. Agnetis videlicet dormitorium diruptum fuit: Monasterium S. Clare in maximam partem diruptum est. Cruces trium Campanilium ceciderunt, Ecclesie S. Marie la bella et S. Blasij super ruinaverunt et non remansit quasi lapis super lapidem ipsis Ecclesijs. Et mortue fuerunt plures persone, inter quas mortuus fuit Presbiter Leonardus Filippi Capellanus Fraternitatis S. Johannis et sepultus ante Altaria S. Bartholomei et S. Antonij et postquam sepultus fuit cum dies octo postea veniret Fr. El. . . . de Borgins Prior S. Spiritus extraxerunt eum de sepoltura et ipse percussit mortuum in capite cum badilo dicendo. . . . et hoc pro una meretrice pessima. Item a Porta asinorum usque ad turrim battagle ceciderunt quasi omnia fortilicia murorum Comunis et due porte muri-veteris Comunis, Turris horarum: fons Glemone per duos menses manavit turbidum. Mons Glemone et mons Frateti aperti sunt. Item fuit maxima ruina in Civitate Austrie, in Tricesimo et in pluribus locis Patrie et fuit terremotus universalis in toto mundo.



Item die prima Aprilis post predictum fuit et alius terremotus potius major quam primus et corruerunt etiam plures Ecclesie et domus in Patria. Item quasi quotidie erant terremotus. — In hoc anno fuit etiam maxima strages hominum in villa Antognani facta Teotonicorum.

Et in ipso anno fuit maxima pestis in Civitate Austrie et in pluribus locis Patrie.

Item die 13 Septembris Episcopus Labacensis, D. Antonius de Valdenono et quidam alius Nobilis Theotonicus campi ductores Maximiliani Imperatoris subdiderunt Coneglanum Imperio.

Die 16 dicti mensis subdiderunt Sacilum et intraverunt Patriam et subdiderunt Spinimbergum, Pinzanum et D. Antonius de Savorgnano rebellavit Dominio Venetorum.

Die 18 dicti mensis subdiderunt Sanctum Danielem.

Die 19 dicti venit Tubicina dictorum campiductorum una cum Pomponio filio Ser Georgij de Francischinis de Glemona cum uno famulo predicti D. Antonij de Savorgnano ad petendum Glemonam et subdiderunt praefato, nomine predicto, Utinum, Cividatum et Glemonam et vi ceperunt Cittadellam Gradische.

Die 27 Octobris. Venit quidam Hieronimus nauta filius cujusdam Pauli de Zara de Portugruario cum litteris Imperatoris et petijt quemdam Andream Helt vocatum Anderli hospitem in Glemona et ligatum manibus ac pedibus incarceravit eum et suffocabat, quod haberet potestatem in ipso et in omnibus bonis suis donata per Imperatorem et tamen donavit ipsum uxori dicti hospitis et condemnavit eam in tribus millibus Ducatis.

Die 30 Septembris. Intraverunt tres Capitanei Imperatoris cum quatuor centum militibus Glemona et steterunt usque ad vigiliam Sancti Martini: recesserunt hinc et iverunt Venzonum et asportaverunt omnia instrumenta bellica, videlicet artalariam Glemone et munitiones et conduxerunt Venzonum et in die S. Martini iterum Glemona se subdidit Dominio Venetorum et tota Patria iterum subdidit se Dominio Venetiarum.

Die 12 Novembris. Dominium Venetiarum prius misit exercitum suum sub Venzono et Dominus Hieronimus Savorgnanus fuit campiductor et nihil profecit. Postea venit maximus exercitus Dominij et steterunt plures dies sub Venzono: se tamen subdidit,

salva tamen gente cum bonis ipsorum: tamen milites Germani antequam exercitus Domini venisset Venzonum asportaverunt omnia meliora et preciosa Venzoni in Alemanniam, bannitis civibus Venzoni. Et stetit campus seu exercitus sub Venzono dies decem et S. Camillus de Colloredo cum certis alijs campiductoribus et imposita fuit talea per dictos Capitaneos ipsi Venzono trium millium Ducatorum et pro securitate dicte talee conduxerunt secum in campo tres Cives Venzoni, videlicet S. Simonem Radiussium, S. Antonium Mistrucij et Magistrum Antonium Fachinum. Ipsi Fantazini spoliaverunt totum Canale, videlicet Risiuttam, Mocium etc. cum Ecclesijs. In reversione vero de Venzono cremaverunt villam Hospitalis et Spilimbergum: duxerunt secum 40 . . . . milites Teotonicos captivos et totus exercitus cum dictis captivis steterunt Glemone per plures dies expensis Communitatis et totius populi Glemone et fecerunt maximum damnum, videlicet plusquam 4000 Ducatorum in tota terra.

Quando Glemona subdidit se Imperio imposita sibi Talea 3000 Ducatorum et omnibus Terris Patrie fuerunt imposite maxime Talee. Et quando recesserunt hinc conduxerunt secum septem cives Glemone et steterunt in Villacho per plures dies et menses.

1512. Fuit maxima pestis Glemone, ita quod obierunt circa 390 persone.

De mense Maij fuit maxima tempesta, et in effectu fuit siccitas maxima, ita quod arbores et vites arebant et terra universa erat arefacta pro siccitate.

Fuit maxima caristia vini et bladi.

De mense Septembris fuit maximum diluvium aquarum et venti qui numquam nostris temporibus fuerunt auditi. — Nobilis Domina Soror Elena de Orsettis Abbatissa S. Clare cum ipsis Monialibus steterunt in S. Agnetem propter pestem quae vigeat in Monasterio S. Clare: et steterunt per menses quinque.

1512. De mense Maij in Villacho fuit interemptus D. Antonius de Savorgnano ante portam Ecclesie per S. Johannem Henricum de Spinimbergo.

1513. Die 19 et 20 Februarij fuerunt incredibiles venti.

Die 25 Februarij fuit magnus Terremotus inter XVI horam et XVII.

Die 16 Februarij mortuus Papa Julius qui posuit unam Decimam Clero.

Die . . . . Februarij creatus fuit Papa Leo Florentinus ex gente Medicorum.

De mense Aprilis Domine Moniales Sancte Clare ampliate sunt t rritorium post Dormitorium et construxerunt murum circa ipsam ampliationem.

Die 21 Aprilis fuit maximus ventus cum nivibus et ninxit in montibus, ita quod ex nivibus fuerunt operti mons Ambroseti, mons S. Simeonis et mons de Braulins usque ad ima et in Glemona ninxit. Duravit frigus per dies.

Die 22 dicti mensis cecidit pruina et decoxit vites usque ad Civitatem Austrie et versus Utinum, videlicet usque ad Cormonum et Lisuncium et similiter quasi per totam Patriam et fuerunt maxima frigora, ita quod non discernebatur ver ab hieme nisi in frondibus et duravit illud frigus per dies quindecim.

Die 24 Aprilis defunctus est Magister Frater Lodovicus de Orsettis de Glemona in Venetijs de Pleurisia: videlicet Archa Scientie Ordinis Minorum S. Francisci, Civis Glemone.

Die . . . . Maij. Comes Bartholomeus de Alviano regressus ex captivitate Gallorum et Regis Francie, creatus fuit Capitaneus Generalis Dominij Venetiarum et ivit Veronam.

Die 20 Maij inter horam XX et XXI fuit terremotus mediocris.

Die 20 Maij D. Locumtenentis intimatio Comunitati Glemone de Colligatione Dominij Venetorum cum Rege Francie.

1513 de mense Maij. Turcus devastavit et depredatus est Crovatiam et captivavit multos populos. — Eodem mense devastavit Apuliam.

Die . . . . Maij. Comes Bartholomeus rehabuit Veronam que dominabatur per Imperatorem Maximilianum.

Die 29 hora secunda noctis fuit terremotus, videlicet in sero Festi Corporis Christi.

Die 30 Maij fuit tempestas Glemone, sed non magnum daunnum.

De mense Maij. Dominium rehabuit Cremonam cum maxima victoria et occisione Magnatum Regis Hispanie et captivatus fuit Dux Mediolani et Vicerex Hispanie, D. Bartholomeo Duce magno exercitus Venetorum.

De mense Junij. Apud Novariam fuit maxima strages ex utraque parte Hispanorum et Francigenarum et Suviceriorum.

De mense Julij. Exercitus Regis Hispanie fuit in Paduano agro usque ad Castrum denominatum *Stua*, et stetit plures dies et exercitus Venetorum in Padua et Tarvisio.

Idem Dominium fecit reparare Maranum cum fossis et alijs necessarijs ad fortificationem ipsius Terre.

Die 12 Augusti transivit magnus exercitus Crovatorum et aliorum per Glemonam et iverunt Scusam et in crastinum reversi sunt per Buyam et alias villas circum *quaque* Buye cum maximo danno villarum.

*Hispani* seu exercitus Regis Hispanie et exercitus Imperatoris steterunt per duos menses in agro Paduano pro rebellanda Padua et non potuerunt: tandem recesserunt insalutato hospite.

De mense Septembris supradicti redierunt et de agro patavino abduxerunt in captivitatem et predam multos Nobiles Venetos cum eorum familia et bona eorum et de agro Tarvisino et Mentrensi.

Die 3 Octobris, hora X apparuit Cometa versus Septentrionem.

Die 7 Octobris fuit maximus conflictus inter exercitus Hispanorum et Theotonicorum ex una et Dominij Venetiarum ex alia in agro Patavino et ceciderunt ex utraque parte duo millia hominum.

In hoc anno (1513) fuit bona fertilitas bladi et vini et fructuum in abundantia.

Die 12 Decembris Boemi et Crovatini intraverunt Patriam et nomine Imperatoris invaserunt et intraverunt Maranum et steterunt in ipso per dies . . . . et partem venerunt usque ad S. Gothardum et fecerunt maxima butina in animalibus et partim iverunt usque Belgradum.

Die 16 Decembris hora Xij fuit terremotus.

Die 23 Decembris Comes Chistoforus Crovacie cum suo Comitatu intravit Maranum in succurso exercitus gentis sue: existente exercitu Dominij in campestri (sic); et omnes nostri dederunt fugam hinc inde et captivati sunt ipsi Crovatini unam Galeam cum artelarijs suis. Et interim nostri castrametati sunt iterum apud Maranum in festis Nativitatis Domini et ipsi Crovatini de-

predati sunt Strasoldum et postea castrametati sunt Montemfalconum.

Die..... fuit combusta in Venetijs tota pars Rivoalti cum maximo damno mercantiarum.

1514 die primo Januarij fuit terremotus cum maximo rumore, sed modicum duravit.

Die 8 Januarij fuit maxima dissensio inter Cives Civitatis Austrie videlicet inter . . . . . et se vulneraverunt multi ex utraque parte.

Die 15 Januarij, hora secunda fuit terremotus cum maximo rumore et tremore, sed modicum duravit.

Item per plures menses non pluit, videlicet a principio Septembris 1513 usque ad diem 20 mensis Februarij 1514 et fuit tanta ariditas quod fontes exsiccarentur et fons Glemone exsiccatus fuit, ita quod nullam scaturibat aquam.

Die penultimo Januarij fuit terremotus hora XXII<sup>a</sup>.

Die 26 Januarij, hora quarta noctis, Milites seu exercitus Dominij qui erat Utini exierunt et iverunt ad Castrum Porpeti cum tribus curribus scalarum pro destruendo ipso, et Boemi qui eum custodiebant, exierunt contra eos et persecuti sunt ipsum exercitum et occisi sunt circa centum et acceperunt eis . . .

Die 4 Februarij. Exercitus Boemorum 500 equitum venerunt depredando usque ad portas Utini, omnes villas sub Utino, et exercitus qui erat in Utino non se movit in aliquo.

Die 7 Februarij fuit maximus ventus et duravit per tres dies cum maximo frigore.

Die lune 13 Februarij, hora sextadecima, venit Franciscus Cisilinus dictus Pintinus Glemonam nomine Commissariorum Cesaree Maiestatis ad postulandam Terram et cives nostri consenserunt ei prestare obedientiam.

Nota quod D. Hieronimus de Savorgnano in istis annis proxime preteritis et presentibus cepit fortificare montem Osopij.

Die 16 Februarij exercitus Cesaree Maiestatis circa novem millia Militum castrametatus fuit Osopium et projecerunt contra Castrum ultra mille et octingenta ictus bombardarum ponderis . . . . . et in Castrum, ita quod totum excusserunt a fundamentis, dempta Turri.

Die 20 Februarij. Media colta imposita est in populo et die 22 dicti mensis solvi solidos decem cum lucro . . . . . solidorum pro libra singula.

Die 22 Februarij. Communitas Glemone misit in campo Osopij 44 milites ex precepto Comitum Christofori de Crovacia Capitanei Generalis Imperialis et Franciscus Clericus filius S. Johannis Fant . . . . . ivit cum eis.

In vigilia S. Matthei de nocte fuit combusta tota villa Osopij, demptis duobus sediminibus.

Prima die Marcij circa horam primam noctis quidam Capitaneus Teoticus cum suo Comitatu conduxerunt Glemonam centum et unum captivos de villa Muzana, omnes insimul ligatos sicut bestias et ipso sero nihil eis datum fuit pro victu eorum et in mane diei 2 Marci obcecaverunt a decem septem annis ultra omnes videlicet numero 53: et qui erant in pubertate incidebant facies eorum in modum crucis ex utraque parte et tres digitos manuum.

Die 2 Marcij ivit exercitus Imperatoris ad destruendum Castrum Sclose et steterunt per duos dies isthic et Capitaneus cum suis stipendiarijs fuerunt abducti ad construendum campum, inter quos fuerunt conducti octo de Resia ligati ad unam cordam sicut bestie.

Die 1 Marcij. S. Franciscus Cisilinus dictus Pintinus fuit presentatus Commissarijs Maiestatis Imperialis per Communitatem Glemone in Osopio et acceptatus in Capitaneum Glemone et eadem die accepit possessionem ipsius Capitaneatus: et ipse est primus Capitaneus noster sub ditione Imperiali.

Die 4 Marcij. Castellanus Sclose se dedit Maiestati Cesaree et die 5 videlicet die Dominico reduxerunt artelariam Glemone, ita quod in bombardis majori erant 20 paria bovum ad conducendam ipsam Glemone sine armamento ipsius: erantque plures bombarde cujuscumque generis, que omnes fuerunt Venetorum.

Die 5 venerunt omnes stipendiarij qui fuerunt Sclose Glemonam, videlicet circa 500 et se diviserunt prima die per domos absque ullo ordine, inter quos venerunt ad domum meam et in spatio decem et octo horarum ipsi quatuor biberunt ultra medium congium vini.

Die 9 Marcij venerunt Commissarij campi Glemonam, videlicet Comes Christoforus Crovacius, Episcopus Lubiane, Lenspenger Capitaneus Lubiane et Capitaneus Tergesti qui recess . . . stayner Capitaneus Cormoni cum equestribus campi et pedestribus circa 500 et fuit maxima expensa hominum. — Et ipso die in sero circa horam medie noctis fuit maxima tempestas cum magnis tonitruis et corruscationibus. — Dicti imposuerunt Taleas Terris et Castellanis Patrie, videlicet Utinensibus 4000 ducatos, Civitati Austrie 3000, Glemone 2000, Venzono 1000, Tumetio 2000, Sancto Danieli 2000, Castellanis 8000, Prelatis 6000 et hec citra Talentum. Item imposuerunt etiam toto Clero decimas duas in termino octo dierum et ducatos quatuor pro foco singulo totius Patrie.

Die 17 Marcij ex precepto Sacre Maiestatis Cesaree, Commissarij exercitus miserunt . . . et homines Glemonenses sub poena unius oculi et unius manus ad diruendum muros Venzoni et exterminate fuerunt septem vel octo Turres et maxima pars muri. . .

Hec Quadragesima oleum vendebatur solidos novem libra olei.

Die 24 Marcij vulneratus fuit ex ruina Castris Osopij in capite Comes Christoforus Franchapan Ductor Campi.

Die 30 Marcij videlicet Jovis, exercitus Imperatoris recessit ab Osopio: et combusserunt omnes Casulas campi quas extruxerant et abierunt cum maxima furia et timore per viam Canalis Villachi, timentes exercitum Venetorum, qui erat in Portunaone.

Die . . . . Marcij D. Bartholomeus Capitaneus Venetorum cepit Portumnaonem cum omnibus habitatoribus in ipso: et fecit maximam occisionem virorum et mulierum et omnes Nobiles conduxit Tarvisio in captivitatem.

Die ultimo Marcij et die primo Aprilis, venerunt omnes Cernide Patrie in comitatu D. Bartholomei Alviani de nobilissima familia Ursina Romana, ad insequendum inimicos Campi Dominij.

Die 2 Aprilis, videlicet die Dominico, omnis exercitus Venetorum recessit ex Glemona et Venzono ante diem erat: et iverunt Goriciam ad castrametandum contra ipsam Goriciam: et steterunt usque ad diem Martis 4 Aprilis: et oportuit relinquere Goriciam et equitare contra Hispanos qui insurrexerant ad castrametandum in Patria Foro-Julij.

Item die 1 Aprilis magna pars exercitus Dominij hospitaverunt Venzoni ad discretionem et aliqui expulerunt maritos de lectis et cubaverunt cum ipsorum uxoribus.

Die 2 et 3 Aprilis exercitus Venetorum abduxerunt totam artelariam Imperatoris per Glemonam, que erat in precio decem millia Ducatorum et deduxerunt eam versus Portumgruarium.

Die 20 Aprilis Dominium Venetorum imposuit Taleam Ducatorum 120 Communitati Glemone et fuit imposita colta una cum dimidia omnibus vicinis Glemone.

Item prefatum Dominium Venetorum imposuit Taleas universaliter omnibus Terris Patrie Forijulij.

Die 23 Aprilis exercitus Venetorum castrametatus est sub Marano et stetit usque ad mensem Julium sub Marano D. Hieronymus de Savorgnano Capitaneus exercitus.

Nota quod D. Hieronymus de Savorgnano impetravit a Domino Venetorum mutam Inderlech ex Glemona in Osopium, in maximam jacturam et damnum habitatorum Glemone. Et de mense Januarij 1515 confirmaverunt eidem ipsum Inderlech in maximum damnum Terre Glemone et factum fuit in Osopio maximum gaudium.

Die 6 Junij Locumtenens scripsit Comunitati in signum letitie quatenus Comes Christoforus Franchapan, qui ibat Maranum cum aliquibus de exercitu suo in occursum sibi, fuerat captus cum toto comitatu suo et captivus ductus et partim occisus, quod nullus eorum evasit qui non fuerit captus vel occisus.

Die 8 Junij hora sexta defunctus est S. Johannes Fantoni, eratque tamquam frater meus, cujus anima requiescat in pace. — Eadem die Antonius Pichisini submersus est piscando in Tulmento.

Die 17 Junij, hora 7 fuit terremotus.

Die 24 Junij, hora 20, fuerunt maximi venti et in pluribus villis, videlicet in Pers, in Sancto Liseo et circa eas fuerunt maxime tempestates que vastaverunt omnia blada et uvas.

Die 4 Julij, hora 19, fuit terremotus mediocris. — D. Hieronymus de Savorgnano postulavit Comunitati quod . . . . sibi darentur 60 currus feni . . . . paria linteorum . . . . paria tobaclearum . . . . paria . . . . pum . . . . paria manipulorum tabule.



Die 7 Julij cecidit fulgur in monte Osopij et combussit Cassale magnum Agnuli cestarij cum omnibus bonis suis.

Die 12, videlicet S. Hermacore, fuit Terremotus magnus inter XXII et XXIII horam.

Die 13 fuit capta a Crovatinis certa Villa Nespoleti. Magnificus D. Johannes Victuri, qui erat Provisor totius exercitus Domini fuit ductus in captivitate Goricie et quotquot alios ceperunt, expoliaverunt eos armis et vestibus et dimiserunt.

Die . . . . Julij circa finem fuerunt inventi duo Fratres Ordinis Predicatorum in Civitate Austrie, videlicet unus de Civitate Austrie, alter de Marano, qui erant complices ad tradendam Patriam in manus hostium nostrorum.

Die ultimo Julij. Quidam Dominus Antonius de la Valle hora secunda noctis cum sexcentis fantacinis intravit Civitatem Estensem secreto et extinxit circa trecentos viros in lecto et centum equos abduxit et cum . . . . pedestribus cum maxima preda et cremavit omnia victualia ipsorum et vinum effudit et dirupit omnem Civitatem.

Die 24 Augusti, hora octava, cecidit e coelo quedam acies ignita et resplenduit sicut sol et duravit per paternoster et unam Ave Maria.

Die dicto S. L. . . . . Fantoni et S. Nicolaus et nepotes fecerunt conventionem et concordium, prout patet in notis S. Hieronimi Notarij.

Die 26 Augusti. D. Lentius de Perosa Capitaneus Domini in Crema hora . . . . intravit in exercitu Ducis Mediolani et fecit maximam stragem hominum equestrium et pedestrium et abstulit omnem victualiam et artelariam.

Die 29 Augusti. Locumtenens misit Litteras Communitatibus Glemone, Venzoni et Tulmetij pro gaudio confederationis Domini cum Rege Francie et factum fuit Falò ubique in Patria pro ipsa confederatione, ut fiat in pace bona.

Die 30 Augusti, in mane fuit maxima pluvia. — Item circa XX horam diei fuit maximus ventus boree et australis, postea subsecuta est maxima pluvia cum tempestate et vento: tamen non duravit, quod si durasset ipsa tempestatas, vastasset omnia sata et vindemiam.

Die 30 Septembris, in nocte fuerunt duo Terremotus, videlicet hora octava et hora decima. — Item ipso die fuit maximus ventus cum pluvia, que conquassavit quasi in tota Patria uvas et sata; ita quod intulit maximum damnum ubique.

Die 1 Octobris fuit maxima pruina et maximum frigus.

Die 10 Octobris. Simon Canonici obiit morte subitanea ante Ecclesiam Sancte Catarine.

In principio mensis Septembris inceperunt pluvie, et pluit quasi quotidie et duraverunt exclusive usque ad Festa Nativitatis Domini.

1515. Nota quod totum hiems fuit temperatum: non fuerunt nives sed pluvie maxime. In Cathedra S. Petri fuerunt maximi venti et exterminaverunt tota tecta in Sancta Agnete.

Item die ultimo Februaj fuit maximum frigus et pruina.

Die 12 Marcij a prima hora noctis usque ad tertium diem fuit maximus ventus Aquilonaris et Borealis et fecit maximum frigus et duravit tres dies.

Die 15 Marcij in renovatione lune ninxit satis bene et circa unum semis (sic) et erat maximum frigus et duravit plures dies.

De mense Marcij, Domine moniales S. Clare fecerunt edificare eorum campanile in Monasterio et insuper posuerunt campanam novam ex Venetijs abductam ac etiam campanam Ecclesie S. Catherine de burgo Ville.

Die 16 Marcij, hora XXij fuit terremotus mediocris et in his diebus fuerunt magna frigora et ad montes nives et duraverunt per dies plurimos, videlicet usque ad festum S. Bartholomei inclusive.

De mense Aprilis fuerunt frigora et venti.

In principio Majij fuerunt frigora et grandines in pluribus locis Patrie.

Die 7 Majij ninxit quasi in calce montis Ambroseti in maxima quantitate et fuit frigus intensum.

Die 7 Junij ninxit in summo montis Ambroseti et fuit frigus ipsa die.

Die 20 Julij grandinavit in pertinentijs Glemone in Tabella et in Marzaso, in Aruncho et in Arvengo.

Die ultimo Julij, circa horam quintam fuit terremotus non magnus.

Die 6 Augusti fuit consecrata Ecclesia Sancti Leonardi cum tribus Altaribus per Reverendissimum Patrem D. Danielem de Rubeis Episcopum Caprulanum, Vicarium Suffraganeum Reverendissimi D. Dominici Grimani Patriarche Aquilegensis sub Camerariatu Magistri Sebastiani Sertoris quondam Magistri Antonij Zoth; que ruinata fuit per terremotum sub 1511, die 26 Marcij.

Die 7 dicti mensis consecrata fuerunt Altaria, duo videlicet, Altare S. Michaelis in honorem Sanctorum Michaelis et S. Johannis Baptiste et Altare Corporis Christi in Ecclesia S. Marie Plebis in honorem Sacratissimi Corporis Christi et Sanctorum Nicolai, Sanctorum Achacij et sociorum ejus crucifixorum, Sanctorum Theodori et S. Osualdi.

Die . . . . Augusti. Ser Hieronimus de Savorgnano misit circa 100 Stradiottos Buje in domibus quinque hominum Buje, qui steterunt per quinque dies et dilapidaverunt bona eorum. — Deum iverunt in Portis Venzoni et sic steterunt isthic aliquibus . . .

In die S. Bartholomei venit tempus serenum et duravit ad diem 24 Septembris et fuit magna siccitas et maximus fervor solis.

Die 21 Septembris. D. Locumtenens misit litteras gaudij de morte Suvicerorum qui exterminati in ore gladij fuissent per gentem Francie et Dominij circa 4000 hominum et hoc fuit die 13 Septembris.

Die 25 Septembris, hora tertia noctis venerunt Littere Locumtenentis ad notificandum quod Papa Leo se confederasset cum Dominio in Venetorum et restituisset omnia que Papa Julius accepisset Dominio in Statu.

Die 1 Octobris fuit maxima pruina et maximum frigus et fuit hic annus totus infertilis in blado et vino ac fructibus in maxima egestate.

Die . . . . Octobris, Rex Francie fecit intratam in Mediolanum cum maximo triumpho, ut dicebatur ad similitudinem triumphorum Romanorum, de obtenta victoria.

Die I<sup>o</sup>, II<sup>o</sup> et III<sup>o</sup> Novembris, fuerunt maxime pluvie cum tonitruis, et totus iste annus fuit pluvialis.

1516. Die 1 Februarij. Magn. Leonardus Emo Locumtenens Patrie fuit in prandio Glemona et fecit mandatum Communitati quod sub pena indignationis Dominij non deberent exercere nec

acceptare Inderlechum mercimoniarum. Exinde cepit ire Osopium.

Die Purificationis B. Marie ivit Hieronimus Pignay hospes in Osopio et ipso die inceperunt conducere mercantias . . . . . isthic in Osopio, videlicet in montem.

Die 2 Marcij, hora 11, fuit terremotus.

Die 4 dicti, in consilio Rengo fuit deliberatum quod deberent ire Venetias homines centum ad condolendum se Dominio pro Inderlecho.

Die 7 dicti, iverunt pro determinatione suprascripta Venetias circa 140 homines.

Die 19 Maij, recessit suprascriptus Locumtenens et fuit vir pessimus in Patria, et intravit Spectabilis D. Bartholomeus a Mosto Vicelocumtenens.

Die 26 Maij, hora 12, D. Andreas Gritti intravit Brixiam et subjecit eam Dominio Venetorum cum maximo triumpho.

In presenti anno in die 4 Marcij, in Consilio Arengo facto in Stufa Sancti Johannis, fuit determinatum quod festum Beati Bertrandi Patriarche deberet solemniter celebrari, sive ejus Anniversarium qui est die VI Junij et sic ipso die inceptus fuit.

De mense Junij a die Sancte Barnabe usque ad diem . . . . Augusti non pluit nisi bis et fuit maxima siccitas, ita ut terra non producebat semina et uve sicarentur et arbores.

Petrus Gallinus Camerarius Ecclesie B. Marie Plebis fecit multa in Ecclesia: primo fecit conducere extra Cimiterium glaram quam aqua Gradeule conduxerat ex magna diluvione aquarum sub 1499 de mense Septembris.

Item dedit semel elymosinam panis populo.

Item augmentavit Ecclesiam S. Marie de solarutto.

Item fecit portam et scalam que ducit de solarutto in Ecclesiam.

Item fecit coaptare pinnam campanilis, que corruerat tempore terremotus die 26 Marcij 1511.

Iste annus fuit fertilis in fructibus et maxime in nucibus.

Die 27 Augusti fuit occisus Nicolaus Pelegrini de Osopio in furore Populi, quia venerat cum Nicolao q.m Bartoli Blasotti et aliquibus suis complicitibus ad instantiam Marie relicte quondam Leonardi vindemiare braydam Thome Jacuzini.

Die 14 Septembris, Magn. Jacobus Cornelius Locumtenens Patrie fecit intratam suam in Utino et S. Hieronimus Savorgnano cum complicibus suis zambarlanis fecerat suas conventiculas et . . . . ad exterminium omnium Nobilium et Castellanorum Patrie in Utino et motus fuit rumor inter ipsas partes, ita quod totum Utinum fuit commotum in armis, et occisus fuit coquus prefati Locumtenentis et Gubernator Utini fuit vulneratus et Capitaneus Stradiotorum et quamplures alij Magnates Dominij et omnes Utinenses per vicos et plateas clamabant: Viva Savorgnan, diu noctuque.

De mense Octobris Dominium Venetum fuit cum exercitu maximo ad expugnandam Veronam per plures dies et nihil fecit.

Die . . . . Decembris fuerunt proclamati ad scalam Palatij Utini, 46 viri de Glemona pro morte Nicolai Pelegrini, et Comunitas se appellavit Venetias.

Die 20 Decembris, hora sexta cum dimidia, fuit magnus terremotus et post per spatium dimidie hore fuit alius terremotus non tam magnus.

In die Festi Innocentum pavementum seu scabellum Altaris S. Marie crematum cum mantilibus altaris et nisi Presbiter Leonardus Forzani Sacristi hora matutinali casu operuisset Ecclesiam, cremata fuisset Figura Beate Virginis.

Et ipso die combusta fuit Villa Osopij inter eos.

Nota quod a Festo Omnium Sanctorum usque ad Festum S. Helari inclusive fuit intensum frigus, ita quod congelata fuit Fella et unus rivus Tulmenti.

1517 die 15 Januarij, Dominium Venetum rehabuit Veronam.

Nota quod die 25 Januarij fuit proclamata Pax generalis inter Maiestatem Imperialem et Dominium Venetorum, et fuit treuga in Utino per menses 18.

Die 27 Januarij, Tubicina Locumtenentis proclamavit ipsam Treugam in Glemona.

Die 29 Januarij ninxit maximam nivem cum maximo impetu ventorum.

De mense Februarij fuit intensum frigus cum maxima nive et ventis per plures dies ita quod exsiccata fuit plusquam tertia pars vitium et arborum in tota Patria ubique.

Die 13 Martij Communitas Glemone misit iterum viros 24 Venetias pro recuperando Inderlechum.

Die 19 Aprilis, Frater Martinus de Brugnis Prior S. Spiritus defunctus est, et fuit sepultus in Conventu S. Antonij, ante Altare majus.

In die S. Marci Presbiter Franciscus Orsetus per majus Consilium Glemone fuit electus in Priorem S. Spiritus.

Die 27 Aprilis fuit magna pruina et in pluribus locis Patrie decoxit vites et semina.

Eodem die Communitas misit tres viros Venetias pro recuperando Inderlechum.

Die 20 Maij, Frater Johannes Bucellus de Venetijs Ordinis S. Spiritus accepit possessionem Prioratus S. Spiritus de collibus Glemone nomine . . . . .

Die Pentecostes; Locumtenens et Vicarius Domini Patriarche proposuerunt super offertorium Confraternitatis S. Spiritus et Bucellus fuit exclusus: et non fuerunt detracte expense quas fecerat ipse Bucellus.

Die 10 Junij nixit ad montes et in crastino fuit maximum frigus.

Die 16 Augusti fuit maxima tempestas in possessionibus Glemone et fecit maximum damnum.

In presenti millesimo (1517) fuerunt maxima bella inter Papam Leonem et Ducem Urbini et in fine fuerunt concordēs.

De mense Octobris Nuntij Regis Pannonie pervenerunt in Regno Apulie seu in Ducatu Calabrie ad conducendam filiam Ducis Calabrie in uxorem Regis Pannonie cum maximo apparatu equorum et quadrigarum.